



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXII. De causis peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

4. Inferes ex dictis : In confessione exprimendas esse qualitates personarum, circa quas aliquis fuit morose delectatus, fuerintne soluta, vel ligata, &c. quod non tantum ex nostra sententia manifeste sequitur, sed etiam suadet ab opposita sententia auctoribus; licet enim probabile sit, circumstantias operis cogitati non inducere diver-

tatem specificam in simplicem complacentiam ipsius nihilominus tamen facile contingit a consensu in delectationem voluntatem procedere in consensum ipsius operis, quo casu jam est distinctio specifica, & per expressionem qualitatum Confessario major meliorque notitia peccatorum istiusque peccantis acquiritur.

DISPUTATIO XXII.

DE

Causis peccatorum.

Cum duo sint in peccato, materiale & formale, actus & inordinatio, peccatum habet & causam per se, quatenus actus est, & causam per accidens, quatenus est inordinatum. Et cur per accidens? quia inordinatio privatio est. Ita expressit S. D. hic q. 75. a. 1. in c. *Ex parte autem inordinationis, inquit, habet causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere causam. Sed cum inordinatio peccati, & quolibet malum non sit simplex negatio, sed privatio ejus, quod aliquid natum est, & debet haberi, necesse est, quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens.* Hac porro causa per accidens præcipua est creaturæ rationalis liberum arbitrium deficiens, sive ut S. D. loc. cit. creata *voluntas carens directione regula rationis, & legis Divina, intendens aliquid bonum commutabile.* Plures tamen alia causa vel interna vel externa possunt ad peccatum proximè, vel remotè concurrere. Externa è mente Catholicorum, & S. D. hic q. 80. a. 1. & 2. Dæmon est; non directa, sed indirecta per internam intigationem & tentationem, quæ tamen peccandi nullam inducit necessitatem; unde i. Petri ult. *Item homo homini potest esse causa peccandi, ut S. D. q. 81. vel per suggestionem, modo diabolico; vel per originem, de quo infra.* Et blasphemo hæreticorum ore etiam DEUS peccati Author & causa est, quam tamen blasphemiam art. 3. removebimus. Interna causa peccati, quæ in ipso homine reperitur, & vel ex parte intellectus, estque ignorantia, de qua art. 1. sequenti; vel ex parte voluntatis, & sic non tantum voluntas per modum principii deficientis est causa peccati, sed etiam unum peccatum potest esse causa alterius, S. D. q. 75. a. 4. ut mala intentio malæ electionis, rapina vel furtum homicidii, &c. Vel ex parte appetitus sensitivi, & sic docet D. Th. hic q. 77. à passione voluntatem indirectè moveri ad peccandum. Unde Dan. 13. dicitur: *Concupiscentia subvertit cor tuum, & hæc quidem caret difficultate.* Dna sunt questiones celebriores. *Primò.* An omne peccatum præcedat ignorantia? *Secundò.* An, vel quomodo DEUS concurrat ad actum peccati? Ideo sit

ARTICULUS I.

An ignorantia causet, vel sit peccatum?

SUMMARI A.

1. Diviso ignorantia.
2. Ignorantia est vera causa peccati.
3. Ignorantia concomitans non causat peccatum.
4. Ignorantia antecedens tantum causat peccatum materialiter.
5. Ignorantia consequens etiam causat peccatum formaliter.
6. Est & ipsa formaliter peccaminosa.
7. Et quandoque speciale peccatum.

§. I.

Ignorantia vincibilis causa peccati formalis.

1. Suppono primò. Ignorantiam propriè & privativè acceptam pro carentia vel absentia sci-

entia, quam quis natus & aptus est habere, dicitur primò, ex parte subjecti in invincibilem & vincibilem; secundò ex parte actus in antecedentem consequentem, & concomitantem, de quibus divisionibus in superiori tract. de act. hum. dictum fuit. Tertiò ex parte formæ oppositæ in ignorantiam habitualem, & actuaalem. Habituaalis est carentia scientiæ habitualis, actualis ex opposito est absentia scientiæ actualis. Actualis ratio sum dividitur in absentiam scientiæ, h. e. cognitionis speculativæ, vel ut est ignorantia articulo rum fidei; vel practicæ de agendis, aut omittendis.

Suppono secundò, è S. D. q. 76. a. 1. Ignorantiam verè esse causam peccati. Ita enim dicitur

citur Levit. 4. *Si peccaverint Principes per ignorantiam.* Et rursum: *Si peccaverit anima per ignorantiam.* Non tamen esse causam directam, sed indirectam peccati, inde constat, quia ignorantia non aliter causat peccatum, quam removendo prohibens, h. e. scientiam ad evitandum peccatum requisitam, quam si quis habuisset, peccatum non commisisset. His positis queritur, quanam ignorantia causet peccatum?

3. **CONCLUSIO PRIMA.** *Ignorantia concomitans nullo modo, (2.) antecedens ignorantia peccatum materialiter; (3.) consequens verò etiam formaliter causat.* Ita communis cum S. D. q. 76.

Ratio primæ partis est: Quod actum peccati neque facit voluntarium neque involuntarium, sed merè se habet per accidens ad ipsum, nullo modo potest esse causa peccati; sed ignorantia concomitans est talis, prout loco cit. dictum: ergo. Præterea: In tantum ignorantia causat peccatum, in quantum culpabiliter removel scientiam, quæ si adesset, impediretur peccatum: sed hoc non facit ignorantia concomitans; nam v. g. Venator suum hostem scilicet explosione occidens, quem per ignorantiam concomitantem feram esse existimat, illum nihilominus occideret, tamen si sciret ipsum adesse: ergo ignorantia concomitans nullum causat peccatum.

4. Ratio secundæ partis est: Ignorantia, quæ causat involuntarium simpliciter, excusat à peccato formali: sed ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, causat involuntarium simpliciter, prout ibid. contra Jansenium dixi: ergo excusat à peccato formali, & non causat illud. Nihilominus quia hæc quoque ignorantia tollit [quamvis inculpabiliter] scientiam, quæ si adesset, omitteretur actus prohibitus, v. g. comestio carniæ die prohibito, propterea licet non sit causa peccati formaliter, est tamen illius causa materialiter sumpti.

5. Ratio tertiæ partis est: quia cum ignorantia consequens sit indirectè, & saltem interpretativè voluntaria, non impedit, quo minus actus peccati, qui ex ipsa sequitur, sit saltem interpretativè voluntarius: unde illa ignorantia est causa peccati etiam formaliter, quæ est causa, quòd actus peccati sit saltem interpretativè voluntarius: sed ignorantia consequens est causa, quòd actus peccati sit voluntarius saltem interpretativè & imputativè, ut loco cit. ostensum est: ergo.

§ II.

Ignorantia vincibilis ipsamet est peccatum.

6. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Ipsa quoque ignorantia vincibilis & actualis alicujus rei, quam scire tenemur, est in se ipsa formaliter peccaminosa, idq. ratione negligentia in inquirenda veritate.*

Prima pars est indicata in S. Script. ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur, h. e. à regno DEI excludetur.* Juxta illud Matth. 25. *Nescio vos, & Of. 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, &c.*

Ratio est: Quod in se habet repugnantiam cum præcepto, & recta ratione, est in se formaliter peccatum: sed ignorantia actualis in se habet repugnantiam cum præcepto, & virtute studiositatis, quo jubemur adhibere debitam diligentiam in negotiis nostræ salutis: ergo.

Ratio secundæ partis est: quam habet S. D. a. 2. In tantum ignorantia est peccatum, in quantum est voluntaria omisio scientiæ debitæ, seu quam tenemur inquirere: sed est omisio talis, propter voluntariam & culpabilem negligentiam in inquirenda veritate, hæc quippe ratione oppositæ virtuti studiositatis, estque voluntaria: ergo.

Dixi primò, *vincibilis*, contra Jansenium, qui invincibilem ignorantiam juris naturalis peccati arguit: hanc quippe, sicuti causat simpliciter involuntarium, sic tollere & non causare rationem peccati, constat ex dictis loco cit. Dixi secundò, *actualis ignorantia*; nam ab habitualis ignorantia non tam est peccatum, quam effectus & vestigium peccati ab actuali ignorantia relictum: siquidem habitibus neque meremur, neque demeremur, nec habitus sed actus prohibentur.

CONCLUSIO TERTIA. *Quando scientia præcipitur per se, & propter ipsum scire, sine proprio ordine ad aliquod opus, tunc est speciale peccatum: non autem quando per accidens præcipitur ratione alterius operis præcepti.* Ratio est: quia oppositio cum aliqua virtute generali non constituit speciale peccatum, nisi cum motivum formale virtutis illius specialiter attingitur, veluti patet in irreverentia & inobedientia erga DEUM: sed oppositio, quam habet ignorantia, est cum generali virtute studiositatis, utpote quæ scientiam practicam, tanquam regulam ordinariam & necessariam omnium humanarum operationum pro sua materia respicit: ergo nisi ipsum formale motivum studiositatis per se formaliter attingatur, ignorantia non est speciale peccatum. Atqui cum scientia præcipitur tanquam necessaria conditio ad implendum aliud opus præceptum, v. g. ad jejunandum, audiendum Sacrum, &c. non per se attingitur formale motivum studiositatis; tunc verò per se formaliter attingitur, cum ipsa cognitio veritatis per se præcipitur: ergo in primo casu ignorantia non est; in secundo verò est speciale peccatum. Et sic scientia alicui statui vel officio specialiter annexa, est specialiter sub præcepto: e. g. noticia non tantum mysteriorum fidei, sed & præceptorum & officiorum hominis Christiani est specialiter annexa statui hominis Christiani, noticia morborum & medicinarum officio medici, peccatorum officio confessorii &c.

ARTICULUS II.

An omne peccatum præcedat aliquis error in intellectu?

SUMMARI A.

1. Quid error speculativus & practicus?

2. Quid error formalis, & virtualis?

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

3. Omni peccato præcurrere aliquem errorem intellectus suadet auctoritas.

FF 1

4. Es

4. *Et ratio à priori.*
5. *Quomodo peccans ex scientia nihilominus habeat errorem?*
6. *Quomodo peccantes contra conscientiam habeant errorem?*
7. *In sensu composito iudicii recti voluntas non potest errare impotentiā consequenti.*
8. *Absurda objecta amoveantur.*

§. I.

Adstruitur sententia affirmativa D. Thomæ.

1. Notandum primò. Errorem dividi in *speculativum & practicum*. Speculativus est, quo quis absolute & præsciendò ab operis executione iudicat esse licitum, quod est illicitum; vel econtra. Practicus est, quo quis iudicat, hic & nunc aliquid esse faciendum, quod est omittendum, vel econtra.

2. Notandum secundò. Errorem alium esse formalem, alium virtualem. Formalis est iudicium falsum, objectum aliter enuntians quàm est: Error vel ignorantia virtualis est defectus & omissio actualis considerationis, quam quis hic & nunc deberet habere circa objectum à se habitualiter cognitum. His positis sit

CONCLUSIO. *Voluntas non potest peccare, nisi aliquis error practicus saltem virtualis præcesserit in intellectu. S. D. q. 77. a. 2. in c. & 2. 2. q. 53. a. 2. in c.*

3. Probatum primò autoritate S. Script. & PP. Nam Apostolus Hebr. 3. & 9. peccata generatim vocat *ignorantias*. Matth. 15. & 23. peccatores appellantur cæci. Prov. 14. dicitur: *Errant, qui operantur malum.* D. August. de pecc. merit. & remiss. *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum: ubi vides defectum bonæ operationis refundi in ignorantiam.* D. Gregor. 15. moral. c. 23. *Omnis peccator stultus fuit in culpa.* ergo S. P. in quolibet peccante agnoscat errorem rationis: & quem alium, quàm rationis practicè dirigentis?

4. Probatum secundò ratione: Omne peccatum in voluntate contingit, vel quia voluntas fertur in bonum, quod non est bonum; vel quia fertur in bonum non servato debito modo & ordine in prosecutione boni: sed quocunque modo ex prædictis voluntas peccet, semper præsupponitur aliquis error in intellectu: ergo. Major probatur. Cùm bonum sit adæquatum motivum voluntatis, vel illud bonum, quod prosequendo voluntas peccat, est verum bonum, vel non? Si est verum bonum, tunc voluntas aliter circa illud non peccat, nisi debitum ordinem non servando, quomodo Angelos peccasse dixi in Tr. de Ang. Vel non est verum bonum, & tunc voluntas peccat amplectendo bonum falsum & apparens pro vero bono. Minor etiam probatur: Voluntas tanquam cæca potentia non fertur in bonum, nisi quatenus sibi ab intellectu propositum: ergo si voluntas peccet amplectendo bonum falsum pro vero, debet in intellectu præcedere iudicium practicum, quo iudicetur objectum esse prosequendum, quod tamen non est prosequendum; & hic est error formalis. Si verò prosequatur bonum

sine debito ordine & modo, pariter debet in intellectu præcedere omisitio privata debite considerationis, & attentionis ad illum ordinem, qui est error virtualis: ac consequenter in voluntate nullum est peccatum, quin præcedat in intellectu practico aliquis error sive formalis, sive virtualis. &c.

Confirmatur. Si quis cæcus ex sua natura dependeret ab aliquo ductore, non posset errare in ambulando, nisi errante ipso ductore: ergo cum voluntas ex sua natura in operando dependeat a rationis directione, non potest voluntas errare, nisi ratio in dirigendo aberrat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Qui sciens peccat, non peccat ex ignorantia; neque enim scientia & ignorantia stant simul, sed multi ex malitia peccant, scientes, se male agere: nam Jac. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illud.* Et D. August. enarr. 2. in ps. 68. *Sunt tales, qui iniquitatem suam noverunt, & in eâ pertinaciter perseverant.*

Respondeo, distinguendo majorem. Qui sciens peccat, non peccat per ignorantiam, vel errorem oppositum illi scientiæ, quam habet, concedo; quam non habet, nego. Ad cuius distinctionis explicationem & sensum scribi debet, quòd in peccantibus ex scientia & malitia, scientia diverso modo se habere & considerari possit. Primò potest quis habere scientiam in habitu, h. e. præviè aliquando comparatam, v. g. quòd talis contractus sit usurarius, quam tamen scientiam hic & nunc non applicat, cùm tamen adhibitâ sufficienti diligentia de illa cogitare, eamque applicare possit. Secundò, potest habere scientiam etiam actualem, sed in universali, v. g. quòd die jejunii non liceat comedere carnes, ut qua tamen non descendit ad subsumendam propositionem particularem, quòd hodie sit dies jejunii. Tertiò potest habere scientiam tam universalem, quàm particularem, ita tamen ut in particulari non applicet intellectum ad considerandum debitum modum ac ordinem tendentem ad illud objectum. Cùm igitur dicitur aliquis peccare ex scientia, supponitur scientia vel speculativa in universali; vel etiam practica, sed in habitu; vel denique actualis quoad substantiam non autem quoad modum vel ordinem, & si nihilominus erit defectus in ultimo iudicio, quò proxime dicitur aliquid agendum, vel omittendum.

Objicies secundò. Qui peccat contra conscientiam, non habet iudicium erroneum: sed multi peccant contra conscientiam: ergo multi peccantes non habent iudicium erroneum. Major probatur. Qui peccat contra conscientiam, peccat contra iudicium rectum rationis practicæ, sed hoc non est erroneum: ergo.

Respondeo negando majorem; & probat. distinguo: peccat contra iudicium rectum & non ultimum, concedo; ultimum, & ut vocat practice practicum, nego, & sic distinctâ minore nego consequentiam, ut enim Tract. de confid. didum, ipsum conscientia dictamen, succedente

alio iudicio & dictamine quandoque intervertitur, juxta illud: *Video meliora, probos, Deteriora sequor.*

7. Objicies tertio. Posito dictamine rationis practicae, quod hic & nunc mentiri sit peccatum, vel potest hoc stante dictamine voluntas facere oppositum, vel non? si non potest, non est formaliter libera; si potest, etiam poterit peccare nullo existente errore in intellectu, siquidem hoc dictamen est rectum.

Respondeo: Stante hoc iudicio practico, & interrupto per alium actum consequentem, non posse voluntatem nisi in contrarium, absque tamen praedictio libertatis, eo quod haec impotentia tantum sit consequens, non antecedens, utpote ex ipsa voluntatis applicatione descendens.

8. Objicies quarto varia absurda; primo, quod nullus Angelus potuisset peccare, quia cum haberent plenam notitiam omnium agibilium, nullus error aut ignorantia locum in ipsorum intellectu habere potuit. Secundo, quod nulla amplius foret distinctio inter peccata ex ignorantia, malitia, & infirmitate, cum omnia peccata forent ex ignorantia. Tertio, quod quilibet peccans esset haereticus; quia judicare hoc esse eligendum, quod est contrarium rectae rationi, est iudicium haereticum: sed quilibet peccans ratione pravii erroris haberet tale iudicium: ergo.

Respondeo negando sequelam triplicem. Et ad 1. dico, non potuit in Angelis esse error formalis, concedo; virtualis nego. de quo ex instituto in Tract. de Angelis dixi.

Ad 2. nego sequelam: nam licet ista peccata conveniant in ultimi iudicii errore, differunt ta-

men in modo inferendi & causis ad illud dependentibus; nam qui peccat ex malitia, differt a peccante per infirmitatem, quod iste cadit impulsus vehementi passione, non ille; a peccante vero per ignorantiam, quod iste caret requisita scientia speculativa & in subsumendo; at vero peccans ex malitia deficit in actuali solum scientia ultimata iudicii: e.g. qui ex ignorantia vincibili frangit jejunium, peccat in hoc, quod ex negligentia culpabili non subsumit; Hodie est dies jejunii: ergo est jejunandum. Qui vero ex malitia frangit jejunium, habet iudicium conscientiae, quod sit jejunandum; nihilominus tamen a concupiscentia abstractus & illectus diverit intellectum, & dicit: Non obstante prohibitione legis esse delectabile hic & nunc comedere. Quae ignorantia vocatur mala electionis, eo quod ratio dicitur esse eligendum, quod tamen per scientiam praviam scit non esse praesuo opposito eligendum.

Ad tertium quoque negatur sequela & major, hoc judicare explicitè, speculativè, & in actu signato, est haereticum, concedo; implicitè, practice, & in actu exercitio, seu ex modo operandi, nego maj. & pariter distincta minor, nego consequentiam. Ordinariè nimirum contingit error in ratione, non quod ex parte objecti intellectus formaliter conjungat praedictum dissonantiae & difformitatis legalis cum eligibilitate; sed quod dicitur objectum delectabile esse amplectendum, neglecta advertentiâ rationis & admonitione conscientiae de illicitate objecti, quod dictamen non est fidei, sed prudentiae contrarium.

ARTICULUS III.

An DEUS possit esse causa peccati?

SUMMARIUM.

1. Doctrina fidei.
2. Ratio impeccabilitatis Divinae.
3. Rationes, cur a DEO peccatum causari nequeat.
4. Testimonia S. Script. ab haereticis objecta exponuntur.
5. Quomodo DEUS dicatur, creare malum?
6. Et vasa facere in contumeliam?
7. Praeceptum aliquando accipitur pro permissione.
8. Quomodo DEUS sit causa obdurationis?
9. Objectiones haereticorum.
10. Peccata tantum cadunt sub providentiam permitentem.
11. Ex amore penitentiae non rectè inferitur voluntas peccati.
12. Peccata nec sunt DEO volente, neque nolente.
13. Potentia peccandi quatenus defectiva non est a DEO.

§. I.

Statuitur negativa.

1. Quaestio potest institui, an DEUS sit causa physica, vel moralis peccati: Secundò vel quoad materiale, vel quoad formale peccati; directè, vel indirectè; per se, aut in se, vel per a-

lium, & in alio? Nunc de peccato formaliter, & unà cum ratione malitiae accepto, fit

CONCLUSIO. DEUS nec ipse peccare, neque in alio peccatum directè, vel indirectè aut per accidens ullà ratione causare potest. S. D. q. 79. a. 1. & est de fide ex Deut. 23. DEUS absque ulla iniquitate justus & rectus. 1. Jo. 3. Peccatum in eo non est. Et Pl. 5. Non DEUS volens iniquitatem tu es. Jacobus. Odio sum DEO impius, & impietas ejus. Et alibi passim. Definitio hujus articuli habetur in Trid. Sess. 6. Can. 16.

Ratio primae partis est primò. Omne peccatum est defectus à prima regula, & ultimo fine: sed est impossibile, ut DEUS in operando deficiat à prima regula, & ultimo fine; deficeret enim à se ipso, cum ipse sit prima morum regula, & finis ultimus. Secundò. Infinita bonitati & sanctitati repugnat quodcumque malum morale, & cum infinita perfectione repugnat qualibet imperfectio: sed peccatum quodlibet est defectus moralis: ergo.

Ratio alterius partis est primò. Omne peccatum est aversio à DEO: sed est impossibile ut DEUS ullo modo faciat alicujus voluntatem à se averti; ergo est impossibile, ut DEUS ullo modo causet

causet peccatum. Secundò, Quicquid est à DEO, est ordinabile in DEUM, siquidem rationes primi principii & ultimi finis convertuntur: sed implicat, peccatum ordinari in DEUM: ergo implicat, ut aliquà ratione sit à DEO. Tertio. Infinità Sanctitati, quà major & melior excogitari non potest, non minus repugnat omnis directà, vel indirecta malitia, quàm infinita veracitati repugnet omnis directà vel indirecta falsitas; ergo sicuti DEUS nec directè nec indirecta potest esse causa mendacii, sic neque directè neque indirectè potest esse causa peccati.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. **O**bjicies ex autoritate S. Script. primò illa testimonia, in quibus dicitur, quòd DEUS decreverit, vel creaverit mala, ut Il. 45. *Faciens pacem, & creans malum.* Gen. 47. ubi Joseph suæ venditionis crimen in Divinam voluntatem refert: *Non vestro consilio, sed DEI voluntate huc missus sum.* Sicur & Crucifixio Christi A. & 2. & 4. illuc refertur: *Convenerunt facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.*

Secundò illa loca, in quibus dicitur DEUS *creare impios in ostensionem suæ justitiæ* ut Prov. 6. & Sap. 14. *Et aliqua vasa facere in contumeliam* ut Rom. 9.

Tertio illa, in quibus videtur DEUS præcipere, vel intelligere ad peccata: ut cum 2. Reg. c. 16. dicitur. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David.* & Jo. 13. Christus ad Judam: *Quod facis, fac citius.*

Quartò. Illa, in quibus dicitur, DEUS homines indurare, vel excæcare, ut Exod. 7. Il. 6. & 63. Rom. 9. excæcatio, aut induratio, est ipsum peccatum finalis impenitentia, quo peccatores obstinatè reculant penitentiam agere.

5. Respondeo ad primi generis autoritates, cum DEUS dicitur facere vel creare malum, id intelligi non de malo culpæ, sed pœnæ, quod in se ali-quod bonum, & tantum respectivè malum dicitur, nempe respectu illius, quem privat aliquo bono & commodo. Quod attinet ad Josephi venditionem, & Christi crucifixionem, tunc, si illæ actiones sumantur formaliter, moraliter, & activè, sive ex parte vendentium, & crucifigentium, referuntur in DEI voluntatem permissivam talis peccati in specialem finem prædestinatricis providentiæ DEI, prout in prima parte dictum: si verò materialiter sumantur, prout sunt actiones quædam physicae, sic pertinent ad decretum positivum, ut ex sequenti articulo patebit.

6. Ad textus secundi generis Respondeo, sensum esse, quòd DEUS aliquos homines creaverit, quos ob finem ostendendæ suæ justitiæ in extremo die judicii [qui dicitur dies malus] decreto permissivo sinit in impietatem labi, & in illà mori. Similiter Apostoli sensus est, quòd ex totà massa generis humani per Adami peccatum vitiatà, & in contumeliam redactà, DEUS aliquos voluerit gratuità misericordià in vasa honoris per prædestinationem assumere, & eligere; alios verò per indebiti beneficii denegationem in eadem massa perditionis relinquere: non verò quòd ob finem

damnationis & contumeliæ voluerit aliquos homines condere.

Ad autoritates tertii generis Respondeo, idem Tò præceptum accipi pro permissione, quæ admodum & Marci 10. lex Judæis permittere illud bellum repudiū præceptum vocatur. Unde illa quoque verba, *quod facis, fac citius*, non sunt voces imperantis, sed permittentis, animique precipitundinem ad patiendum ostendens; prout exponit S. Leo. l. 7. de pass. dicens: *Vox hæc non jubentis est, sed sciens, nec trespici, sed parati, qui habens omnem temporum potestatem, ostendit se moram non facere traditori, & sic ad redemptorem mundi paternam exequi voluntatem, ut faceret, quod à persequentibus parabatur, nec impeteret, nec timeret.*

Ad quarti generis testimonia Respondeo, excæcationem ac indurationem accipi posse in sensu duplici, primò ut excæcatio significet pravum affectum animi, veritatis evidentem manifestate lumen recipere nolentis; & ut obduratio significet pravum animi affectum media ad penitentiam & salutem consequendam oblata pertinaciter respuentis. Secundò minus proprie accipiuntur pro subtractione gratiæ illuminantis, & emollientis cor hominis, ad quam consequitur obstinatio hominis in malo. In primo sensu DEUS non est causa obdurationis & excæcationis, sicut enim sunt ipsum peccatum impenitentia, quod sæpius in S. Script. reprehenditur, uti Rom. 1. *Secundum duritiam tuam, & impenitentiam tuam, thesaurizas tibi iram.* In altera acceptione DEUS dicitur indurare & excæcare indirectè & negativè, non positivè, ut habet S. D. q. 79. a. 1. Et D. Aug. ep. 105. dicens: *Nec obdurat DEUS impertiendo malitiam; sed non impertendo misericordiam.* Quo modo intelligenda sunt loca S. Script. in quibus DEUS obdurat & excæcat dicitur.

Objicies etiam ex ratione primò. Quicquid DEUS vult, hoc causat; nam omnia quæcumque voluit, fecit; sed peccata vult: ergo causat. Minor probatur. Quicquid cadit sub DEI providentiâ, est aliquo modo volitum à DEO: sed peccata cadunt sub DEI providentiâ: ergo sunt aliquo modo directè, vel indirectè volita à DEO.

Confirmatur. Peccata aut sunt DEO volente, aut nolente: sed non sunt DEO nolente, nam ejus voluntati quis resistit? ergo sunt DEO volente. Secundò. A quo est potentia operandi, eidem rectè tribuitur operatio; quòd enim est causa causæ, est causa causati: sed potentia peccandi est à DEO: ergo etiam ipsum peccatum. Minor probatur: Potentia peccandi est liberum arbitrium habens indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum: sed hoc est à DEO: ergo.

Respondeo ad 1. negando min. nam velle à DEO significat voluntatem positivam, quæ DEUS de peccatis non habet. Probationem distingo: Quicquid cadit sub providentiâ approbantem, est directè vel indirectè à DEO volitum, concedo; quod cadit sub providentiâ tantummodo permittentem, nego maj. sed peccata cadunt sub providentiâ permittentem

concedo; sub approbationem nego min. & consequentiam.

Instans: Pœnitentia cadit sub providentiam approbationem: ergo etiam peccata. Antecedens patet: quia pœnitentia est effectus prædeterminationis. Consequentia probatur: Efficax intentio & amor finis est etiam virtualis amor illorum omnium, quæ sunt necessaria ad positionem & existentiam finis: sed pœnitentia sine peccatis non potest existere, cum sit essentialiter virtus destructiva peccati: ergo cum DEUS efficaciter intendat pœnitentiam, etiam positivè vult ipsa peccata.

11. Respondeo negando consequentiam, ejusque probationem distinguo: Efficax intentio finis est simul amor virtualis eorum, quæ sunt necessaria ad positionem finis, si sunt necessaria tanquam amata propter intrinsicam suam bonitatem, concedo; si sunt necessaria tanquam permilla solum, nego. Sed peccata sunt necessaria ad positionem & existentiam pœnitentiæ, tanquam permilla, concedo; tanquam amata, nego minorem & consequentiam.

Ratio est: quòd tunc solum inrenio finis est amor virtualis eorum, quæ sunt necessaria ad positionem finis, quando ista sunt in se amabilia, &

causabilia ab intendente finem, & ex intentione finis non tantum logicè & illativè, sed etiam causaliter consequuntur: sed peccata non sunt causabilia à DEO intendente finem, nec amabilia; neque sequuntur causaliter, sed solum illativè ex intentione finis: adeoque efficax intentio pœnitentiæ non est simul amor, aut voluntas virtualis peccatorum.

Ad confirmationem nego maj. peccata enim sunt, DEO propriè neque volente, neque nolente, sed permittente: voluntas autem permissionis DEUM non simpliciter volentem denominat. Dixi, *propriè*, nam latius loquendo & cum addito dici potest, peccata fieri DEO volente permittere, seu volente per voluntatem permissionis, & illa fieri DEO nolente, secundum voluntatem signi, in quantum peccata prohibet, odit & punit.

Ad secundum datâ, non concessâ maj. distinguo 1. min. potentia peccandi, quatenus defectiva & ut formaliter est potentia peccandi, nempe liberum arbitrium, est à DEO, nego: quatenus effectiva, & sic causa illius quod est materiale in peccato, concedo: ergo & peccatum est à DEO, quoad materiale, & quatenus est effectus, concedo; quoad formale, & quatenus est defectus, nego consequentiam.

ARTICULUS IV.

An materiale peccati physice, vel moraliter sit à DEO?

SUMMARI A.

1. DEUS non est moralis causa peccati materialis.
2. Disparitas, cur physica causalitas DEI possit attingere actum peccati sine malitia, non item causalitas moralis.
3. DEUS physice influit in materiale peccati.
4. Objectiones.
5. Solvuntur.
6. DEUS non propterea est author peccati, quia concurrat ad materiale & actum ipsius.
7. Ille concursus est prævius.
8. Ratio hujus præmotionis non est virtus præcisi-va Divini concursus.

§. I.

Removetur causalitas moralis.

1. CONCLUSIO PRIMA. Actus, seu materiale peccati non est à DEO, tanquam a causa morali.

Ratio est primò. Quia moraliter causare actum peccati, est illum causare per modum suadendi, consulentiis, jubentis: sed implicat, hoc modo actum peccati à DEO causari: ergo. Minor probatur: tum quia suadendo inducere ad actum peccati est aliquem tentare & implanare, quâ de causâ dæmon dicitur homines tentare & causare peccatum: sed DEUS neminem tentat, ac implanat: ut habetur Jac. 1. & Eccles. 1. 5. ergo. Tum quia sequeretur, quòd DEUS in eodem genere causa, & circa idem objectum haberet duas contrarias voluntates: nam ut causa moralis ex hypothesi suaderet actum peccati, & simul dissuaderet, ac prohiberet, uti constat: ergo.

Ratio est secundò. Si DEUS voluntatem moveret ad actum peccati per modum causæ moralis, moveret ad actum, quatenus modo morali ab ipsa eliciendum: sed hoc modo movere non potest: ergo. Major probatur: quia moralis causa non aliter movet, quàm proponendo agenti objectum, ut circa illud liberè se determinare possit. Minor quoque probatur: Actus peccati quatenus procedit à voluntate moraliter operante, sic defectuosè procedit: sed implicat, ut voluntas à DEO moveatur ad actum, quatenus defectuosè eliciendum: ergo etiam implicat, voluntatem à DEO moveri ad actum sub ratione principii moralis eliciendum.

Dices: DEUS causalitate physica attingit actum peccati, quin tamen eadem attingat formalem peccati malitiam: ergo pariter moralis causalitas ipsius hoc modo poterit attingere actum, & materiale peccati.

Respondeo negando consequentiam: quia malitia peccati non sequitur ex vi voluntatis, tanquam principii physici, bene autem ex vi voluntatis, tanquam principii moralis defectivi, e. g. blasphemia in amente, qui non agit ut principium morale, non habet malitiam moralem, habet tamen in alio compote rationis, qui operatur ut agens morale cum defectu regulæ rectæ rationis: sed, ut statim dicemus, DEUS suâ physica causalitate voluntatem tantum movet intra lineam physicam, seu quatenus est principium physicum talis actionis, & sic nullo modo attingit malitiam moralem, quæ non sequitur ex vi principii u physice operantis: e contra si moveret moral

cau-

causalitate, tunc moveret voluntatem, quatenus est principium morale ejusmodi actus, & consequenter indirectè moveret ad ipsam malitiam, quæ ex voluntate quâ tali nata est sequi.

§. II.

Adstruitur causalitas physica.

3. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Actus & materiale peccati in genere naturæ est à DEO physice influente. S. D. hic a. 2. cum communi.* Ratio est: Omnis effectus creatus, in quo ratio entis participati, tanquam formalis terminus Divinæ omnipotentia intrinsecè reperitur, physice dependet ab influxu causæ primæ, primi entis & moventis: sed actus peccati est quidam effectus creatus, & ens participatum: ergo ut sic dependet à physico influxu DEL tanquam causæ & entis primi.

4. **Objicies:** Si DEUS est causa actus physici in peccato, etiam est causa peccati formaliter: consequens non admittimus: ergo nec antecedens. Sequela probatur: Qui vult & causat antecedens, vult etiam & causat consequens, quod cum antecedente infallibiliter connectitur: sed malitia infallibiliter consequitur ad actum peccati, præsertim intrinsecè mali, ut est v. g. odium DEL: ergo si DEUS vult & causat actum peccati, causat pariter malitiam actus.

Confirmatur primò. Qui est causa formæ, est etiam causa privationis, quæ huic formæ inseparabiliter connectitur, sicut ignis producendo calorem, hoc ipso causat privationem frigoris: ergo si DEUS physice causat actum, etiam causat malitiam, quæ est privatio reitudinis inseparabiliter conjuncta cum actu.

Confirmatur secundò. Homo ideo peccat, & causat malitiam formalem peccati, quia liberè ponit actum peccati: ergo etiam DEUS causabit malitiam peccati, si liberè concurrat ad physice ponendum actum peccati.

Confirmatur teritiò. Si DEUS physice concurreret ad actum peccati, tunc operaretur contra suam propriam voluntatem: consequens est absurdum: ergo. Sequela patet; quia DEUS non tantum prohibet malitiam, sed etiam actum peccati: imò frustra prohiberet malitiam, nisi ipsum quoque actum prohiberet, ex quo malitia necessariò sequitur.

5. **Respondeo** negando sequelam: & maj. prob. vel nego, vel distinguo: qui causat antecedens, causat etiam consequens, quando hoc sequitur ex vi antecedentis, quatenus à tali causa positi, concedo; secus, nego. Sed malitia infallibiliter sequitur ad actum peccati, ex vi ipsius quatenus moraliter defectuose à voluntate creata positi, concedo; quatenus effectivè & physice positi, nego min. & consequentiam. Nam quia peccatum [inquit S. D. citatus] nominat ens cum quodam defectu, defectus ille non refertur in DEO sicut in causam; sed in liberum arbitrium, in quantum deficit ab ordine primi agentis.

Ad 1. confirmationem est eadem distinctio: qui est causa formæ, est etiam causa privationis, si illa sequatur ex vi formæ quatenus à tali causa posita, concedo; secus, nego. Sed, ut dictum,

malitia non sequitur ex vi actus, quatenus à DEO & voluntate creata physice promanans, sed ex vi liberi arbitrii defectuose operantis. Ad instantiam de calefactione patet disparitas, quia privatio frigoris sequitur ex vi novi caloris introducti.

Ad 2. Confirmationem nego antec. non enim peccat ideo solum quia liberè, sed quia defectuose ponit. Et si dicas: Ideo defectuose ponit quia liberè ponit; Respondeo; quia liberè ponit, libertate includente privativum defectuosè regulæ rectæ rationis, concedo; non includente, nego: adeò ut proxima ratio peccandi non sit libera positio actus prohibiti, sed privativus defectus proxima regulæ rectæ operandi, ut lapsius antè insinuavimus.

Ad 3. Confirmationem nego sequelam, & antecedens distinguo: DEUS prohibet etiam actum ut est actus & ens nego; ut est malus, deformis, defectuosus, contrarius divinæ legi, pertinet ad genus moris, sic concedo. Quemadmodum [ut eleganti exemplo confirmat Sylvius] Christus DEUS vult actionem baptismalem factam ab hæretico, vel peccatore juxta ritum Ecclesiæ; siquidem illam actionem ipse principiter efficit: *Quos baptizavit ebrius, quos baptizavit adulter, si baptizimus Christi eras, Christus baptizavit*, inquit D. August. Tr. 5. in Joan. nec tamen vult illam actionem, quæ ratione est mala & sacrilega; sic enim solum reducitur in voluntatem defectuosam Ministrum malè operantis.

§. III.

Corollaria.

Colliges primò. Quavis DEUS concurrat ad actum & materiale peccati, non tamen propterea dici posse aut debere causam & auctorem peccati: Quia Tò peccatum supponit proprio formali significato, & non denotat solum actum in linea naturæ, sed actum cum deformitate morali. *Quodcumque autem nomen [inquit S. D. in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. deformitatem formam cum actu significat, sive in generali sive in speciali] non potest dici, quod à DEO sit simpliciter.*

Colliges secundò. Influxum, quo DEUS concurrat ad actum peccati, non esse concursum solummodò simultaneum, sed prævium & determinativum; siquidem est actualis causalitas & influxus causæ primæ, de cujus essentia est, ut sit prior prioritate naturæ, quam suus effectus, & omnino ens creatum ac participatum.

Necque dicas. Illa motio prævia est longè efficacior, & insuperabilior, quam quævis motio moralis; ergo si ratione motionis moralis DEUS diceretur & esset Author peccati, erit etiam ratione prævia istius physice motionis. Nam Respondeo, præterquam quòd hoc argumentum etiam militet contra concursum simultaneum, dist. antec. hæc motio est efficacior intensivè, remanendo videlicet intra lineam naturæ, concedo; extensivè, seu attingendo lineam moris, nego antec. & consequentiam. Adde, quòd ratio, cur DEUS esset author peccati, si actum ipsius causaret moraliter, non sit efficacia motionis, prout in argumento supponitur, sed modus defectuosus: nam suadere aliquid amplectendum negligens.

neglecto ordine rationis, est motio defectuosa; atqui hoc est moraliter movere; ergo.

Colliges Tertio contra Gonet, rationem fundamentalem, cur DEUS physicè præmovendo ad actum peccati non tamen cauisset formalem malitiam peccati, non esse, quòd infinità suà causalitate in nostris adionibus ex duabus formalitatibus inter se identificatis unam ab alia possit præscindere, hujus quippe principii falsitatem jam prius offendimus; sed istam, quòd in ratione a-

ctus reperitur formalis terminus divinæ causalitatis & omnipotentiae, quæ est ratio entis ut sic; non autem reperitur in formali malitia peccati, quæ extra totum genus entis, solummodò intra genus privativum moralis defectus reperitur. Adeòque est extra totam spheram divinæ causalitatis, à DEO nec emanabile, nec in ipsum ordinabile, sed tantum reducibile in principium privative deficiens, quod est voluntas destituta rectà regulà rationis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

Macula peccati, sive de peccato habituali personali. ad q. 86.

Post causas peccati personalis [nam de originali postea speciali tractatu] transimus ad expendendos ipsius effectus, & quidem peccati mortalis, qui à S. D. tres præcipui enumerantur: Diminutio inclinationis in bonum naturæ, macula peccati, & reatus penæ aternæ. Et de primo quidem effectu non est magna difficultas, nam inclinationem alicujus naturæ in bonum diminui, potest in duplici sensu accipi, primò, ut diminuat intrinsecè & ex parte subjecti, h. e. ut natura vel potentia aliquid amittat de sua intrinseca entitate & intensiva perfectione: Secundò, ut diminuat extrinsecè, & ex parte termini, h. e. acquirendo oppositionem alicujus impedimenti, ex quo fit ut natura vel potentia terminum, ad quem aliàs inclinatur, non tam facillè consequatur, quo posito concludit S. D. hic q. 85. a. 1. per peccatum hominis inclinationem in bonum honestum diminui, non quidem intrinsecè; siquidem inclinatio in bonum entitative non differt ab ipsa animæ substantia ac potentiis ipsius, quæ per peccatum non destruntur; bene autem extrinsecè, primò, quia per peccatum generatur prava dispositio, inelians in bonum delectabile inhonestum, adeòque voluntatem impediens & retrahens à prosecutione honesti: Secundò in quantum per peccatum personale mortale aufertur gratia sanctificans, & habitus infusi, sæpe etiam diminuuntur, aut destruntur habitus acquisiti, per quos homo inclinatur in bonum, & retrahitur à malo: sicque minuitur facilitas & promptitudo tendendi in bonum honestum. Major est difficultas de macula peccati, & reatu penæ, de quibus erunt duæ sequentes Disputationes.

ARTICULUS I.

An peccatum habituale consistat in peccato non retractato?

SUMMARI A.

1. Macula peccati est vestigium & terminus peccati actualis.
 2. In re significata peccatum habituale, & macula peccati non differunt.
 3. Cur peccatum habituale dicatur macula?
 4. Varietas Sententiarum.
 5. Peccatum habituale non consistit in obligatione ad penam.
 6. Exponitur locus S. Augustini.
 7. Refellitur sententia non retractionis.
 8. Occurritur evasioni Adversariorum.
 9. Disparitas inter offensam humanam & divinam.
 10. Quid dicendum de peccato habituali in statu pura nature.
 11. Actus præteritus non nisi connotativè distinguit peccata habitualia.
- R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

§ I.

Prænotanda.

Notandum primò ex S. D. q. 86. a. 2. Post actum peccati in anima remanere maculam, quasi vestigium à præterito peccato relictum, ratione cujus homo coram DEO maculatus, immundus, invisus, deformis, &c. denominatur: veluti liquet è plurimis S. Script. locis, Pl. 50. Lavabis me, & super nivem dealbabor. Jer. 2. Maculata es in iniquitate tua &c. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Quæ peccati macula etiam significatur per formas sacramentales, quibus dicimur abluì, & absolvi à peccatis, eaquæ nobis indulgeri.

Notandum secundò. Maculam peccati & reatu penæ

Gg

pecca-